

6. (*Annunziata*, n. 584)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

6. (*Annunziata*, n. 584)

1376 gennaio 6, Ind. XIV, Matera

In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo septuagesimo sexto. Regnante *inclita et serenissima domina domina nostra* Iohanna Dei gratia Ierusalem et Sicilie regina, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comitissa, regnorum eius anno tricesimo quarto, mense ianuarii, die sexto eiusdem, quartadecima indictione, Matere>.

1

Nos Nicolaus Angeli de Abbate Petro annalis Matere iudex, Eustasius Angeli Paradisi de eadem terra puplicus per totum regnum Sicilie reginali auctoritate notarius, abbas Franciscus de Blasio, iudex Iacobus de Abbamonte, iudex Petrus iudicis Nicolai, iudex Eustasius iudicis Francisci, Eustasius de Theopisco, Guilielmus de Gregorio, Ciccus dompni Leonis , Iohannes Silvestri de Gregorio et Nicolaus Pucii Barberii, testes *subscripti et subsignati litterati et illitterati de eadem terra ad hoc specialiter vocati et rogati presenti scripto puplico fatemur notum facimus et testamur quod prescripto die ibidem in nostra presentia constitutis* Muncello filio quondam iudicis Grisanti de Matera *ex una parte* et Iohannes de Iosca procuratore monialium monasterii seu ecclesie sancte Marie Nove de eadem terra Matere, *ex parte altera ut dicit prefatus Minicellus voluntarie* asseruit coram nobis se habere, tenere et possidere iusto titulo et bona fide pro suo iure proprio domum unam palaciatam cum camera una discohoperta iuxta ipsam, cisterna una ab aqua ante ipsam, platea ante ipsam, sitam intus in dicta terra Matere in corpore civitatis eiusdem terre, in pictagio quartadecime indictionis M

ecclesie sancti Eustasii *subscriptis finibus designatam* et placebat ei prefatam domum *palatiam*, cameram *discohoptam*, cisternam ab aqua ante ipsam, plateam parietibus circumdatam *ante ipsam, cum introitibus et exitibus suis cum omnibus infra se habitis et contentis ac cum omnibus iuribus, utilitatibus et pertinentiis de fine in finibus suis vendere et pretium inde accipere ad opus sue utilitatis percipiendum. Quapropter in nostrum* predictorum presentia prefatus Maurellus *voluntarie, palam, publice et bona fide iure proprio et in perpetuum vendidit et per fustem ut moris est transactive tradidit et assignavit* prefatam domum *palatiam*, cameram *discohoptam* iusta ipsam cisternam ab aqua ante ipsam, plateam ante ipsam liberam et exemptam ab omni onere servitutis, *directus, prestationis, redditus, sive census cum introitibus et exitibus suis cum omnibus infra se habitis et contentis ac cum omnibus iuribus utilitatibus et pertinentiis de fine in finibus suis*, prefato Iohanni de Yosca de eadem terra Matere ibidem presenti, volenti et procuratorio quo supra nomine ut dixit ementi ac venditionem ipsam pro dictis monasterio et monialibus iure proprio et in perpetuum recipienti in carlenis argenti boni et iusti ponderis sexaginta per unciam computatis pro unciis quatuordecim finito siquidem ipsius venditionis pretio inter eos habito et convento, quam predictam totam et integram quantitatem pecunia dictus Muntellus venditor in nostrum predictorum presentia presentialiter et manualiter recepit et habuit ab eodem Iohanne de Yosta emptore prefato in predictis carlenis argenti boni et iusti ponderis et tornensibus ana quatraginta pro tareno quolibet computatis et bene numeratam, ponderatam ac renditam et assignatam fuit ex causa venditionis predictae. Cuius predictae domus

palatiata et camere discohoperte dictus Muncellus venditor hos dixit esse fines: videlicet primus finis est domus palatiata capituli maioris ecclesie Materane, secundus finis est domus palatiata Simeonis quondam Francisci Michecche, tertius finis est // (164v) ecclesia sancti Laurentii via publica mediante, quartus denique finis est casile domine Lucie filie iudicis Petri iudicis Grisanti et si qui ei alia sint confines. Infra hos itaque fines totas et integras dictas domum palatiam, cameram discohopertam, cisternam ab aqua ante ipsam, platea ante ipsam, prefato Iohanni de Yosta vendidit et per fustem ut moris est tradidit et assignavit iure proprio et in perpetuum pro predicta pecunie quantitate cum omnibus iuribus utilitatibus et pertinentiis suis superius denotatis ipsumque de ea vel eis cum omnibus suis iuribus utilitatibus et pertinentiis supradictis in vacuam possessionem per fustem ut moris est sollemniter introduxit et constituit dictus Muntellus venditor prefatam domum palatiam, cameram discohopertam, cisternam ab aqua ante ipsam cum omnibus suis iuribus utilitatibus et pertinentiis supradictis prefato nomine tenere et possidere, nomine et pro parte dicti Iohannis de Yosta, emptoris ac ipsius monasterii et monialium eiusdem, donec dictus Iohannes seu dicte moniales possessionem ipsius domus palatiatae, camere discohoperte et iurium omnium earumdem acceperit corporalem. Quam accipiendi et ingrediendi ac retinendi per se vel alios eorum nomine, eorum auctoritate propria dedit et concessit plenam licentiam ac liberam et omnimodam tribuit potestatem dicto Iohanni presenti et recipienti pro se, monasterio et monialibus supradictis. Ita quidem ut amodo in antea omnique futuro dictus Iohannes

et moniales dicti monasteri seu dictum monasterium habeant, teneant, dominantur et possideant dictam domum palatiam, cameram discohopertam cisternam ab aqua ante ipsam, plateam ante ipsam cum omnibus suis iuribus, utilitatibus et pertinentiis supradictis et de eis, in eis et ex eis faciant prout eis placuerit ut vere domine et patrone, sine eiusdem Muntelli eius heredum et successorum ac omnium hominum molestia, contrarietate et requisitione, nullis eisdem Muntello et eius heredibus et successoribus sive alicui alii in ea vel eius iure, portione vel petitione quibuslibet reservavit. Et promisit dictus Muntellus venditor et se suosque heredes et successores per guadium et stipulationem sollemnem voluntarie obligavit dicto Iohanni presenti et legitime stipulanti procuratorio quo supra nomine ut dixit pro monasterio et monialibus supradictis predictam venditionem per fustem traditionem et assignationem habere ratam et firmam omni tempore in futurum ac omnia alia et singula supradicta et infrascripta et ipsorum quodlibet et contra eam ullo unquam tempore non facere vel venire per se suosque heredes et successores ac per alium quamvis personam de iure vel de facto, in iudicio vel extra iudicium. Quinimmo ipsam venditionem per fustem, traditionem et assignationem prefatus Muntellus venditor et heredes et successores sui defendant tam in proprietate quam in possessione et disbrigant ab omni eorum debito et obligatione universitatis et curie et ab omni humana persona eum vel eos molestare vel inquietare volente, quacumque ratione vel causa, in dictis domo palaciata, camera discohoperta cisterna ab aqua ante ipsam, platea ante ipsam et iuribus omnibus et singulis supradictis vel partium ipsorum et se scienter et expresse de evitione teneri

*facta eis vel non facta devictione in quacumque parte iudicii ac reddere et restituere sibi vel dicto monasterio et monialibus omnia dapna, expensas et interesse quas et que ipsum prefatum Iohannem seu dictum monasterium aut moniales pati vel subire contingat, tam in iudicio, quam extra iudicium, occasione ipsorum de quibus expensis, dapnis et interesse stare voluit simplici dicto ipsius Iohanni seu dictarum monialium seu aliarum in eodem monasterio succedentium sive alicuius sacramenti prestatione nulla alia extrinseca seu legitima probatione quesita se ipso proinde fideiubente. Quod si contravenire presumpserit dictus Muntellus venditor et noluerit vel non potuerit predicta et infrascripta omnia et singula adimplere et observare, promisit et se suosque heredes et successores voluntarie obligavit per quadam et stipulationem solemnem dicto Iohanni presenti et legitime stipulanti procuratorio quo supra nomine ut dixit pro se monasterio et monialibus supradictis solvere sibi vel dicto monasterio et monialibus pene nomine uncias auri decem pecunie ponderis generalis et totidem curie reginali vel *** intererit et pena ipsa primitus denunciata fuerit me predicto notario puplico, una cum predicto iudice, penam ipsam pro parte ipsius curie et prefato Iohanne de Yosta pro se, monasterio et monialibus supradictis ab eodem venditore sollempniter et legitime stipulantibus que pena totius committatur et exigatur in singulis capitulis presentis contractus quotiens contra prescripta et infrascripta omnia et singula et ipsorum quodlibet ventum fuerit in iudicio sive extra et ea exacta vel non seu gratiose remissa prescripta et infrascripta omnia et singula niqilominus in suo robore perseverent lege seu consuetudine aliqua non obstante dans et concedens*

dictus Muntellus venditor dicto Iohanni emptori presenti et legitime stipulanti et pro se monasterio et monialibus supradictis recipienti liberam licentiam et plenariam potestatem auctoritate eorum propria pignorandi se suosque heredes et successores per omnia eorum bona mobilia et stabilia habita vel habenda pignora licita et illicita ad pignorandum iure vetita vel permissa sine iussu iudicis vel alterius cuiuspiam magistratus, sine calupnia et appellatione donec predicta omnia et singula per ordinem compleantur et tenaciter observantur. Et certificatus prius dictus Muntellus venditor per nos prefatos iudicem et notarium de consilio sapientis de infrascriptis acceptionibus iuris et legum auxiliis, beneficiis voluntarie in nostrum predictorum presentia renunciavit tacite et expresse ex certa eius scientia exceptioni et appositioni doli, mali, metus, vis et in factum rei alio modo geste quam sit scriptum iuri canonico, civili ac etiam longobardo, iuri consuetudinario, constitutionibus imperialibus et regalibus factis et faciendis, exceptioni non numerate, non ponderate, non date, non tradite, non assignate et non recepte pecunie beneficio restitutionis in integrum beneficio legis rem maioris pretii per quod venditiones facte minus dimidii iusti pretii rescindendi beneficio legis dictantis generalem renuntiationem non valere immo voluit eum valere ac si omnes casus legum essent in presente contractu specialiter numerati ac illi legi seu consuetudini que penas prohibet in contractibus adhiberi et adhibita non committi nec exigi cum effectum et omni alii exceptioni et oppositioni iuris auxilio seu legum beneficio comuni vel speciali per que vel ipsorum aliquod ipse vel eius heredes aut successores possunt venire contra predicta vel aliquid predictorum

et ea in parte minuere vel totaliter annullare et ad maiorem cautelam ipsius Iohannis procuratorio quo supra nomine ut dixit emptoris ac ipsius monasterii et monialium eiusdem prefatus Muntellus, stans in platea publica rerum venalium eiusdem terre ubi predicta et infrascripta omnia et singula acta et celebrata fuerunt, tactis sacrosantis evangeliis iuravit eidem Iohanni presenti et procuratorio quo supra nomine ut dixit pro se et dicto monasterio et monialibus eiusdem recipienti predicta et infrascripta omnia et singula adimplere et observare prout et qualiter superius sunt expressa. Que predicta omnia et singula ego prefatus venditor fateor atque testor vera esse sic acta gesta dicta celebrata obligata et stipulata fuisse per me solemniter coram prefati iudice notario et testibus ut superius sunt expressa et publicum presens continet instrumentum.

2

3

4

5

Quod scripsi ego prefatus Eustasius puplicus qui supra notarius qui predictis vocatus et rogatus interfui et meo solito signo signavi subscriptione mei qui supra iudicis et nostrum subscriptorum et subsignatorum testium qui premissis similiter vocati et rogati interfuimus subscriptionibus et subsignationibus roboratum. Quod autem abrasum et emendatum est in vicesimaoctava

Murrello M

Muntellus M

micherre M

Così M

*linea a superiori parte inferius numerando ubi legitur
Muntellus ego idem notarius abrasi correxi et emendavi
non vitio set quia in scribendo erravi.*

Nicolaus Angeli de Abbate Petro annalis Matere iudex

Ego abbas Franciscus de Blasio testor qui supra

Ego iudex Iacobus de Abbamonte testor qui supra

Signum crucis proprie manus Eustasii de Theopisco qui
interfuit scribere nescientis

Signum crucis proprie manus Nicolai Tucii Barberii
qui interfuit scribere nescientis

Ego iudex Eustasius iudicis Francisci testor qui supra

Signum crucis proprie manus Cicci dompni Leonis qui
interfuit scribere nescientis

Signum crucis proprie manus Iohannis Silvestri de
Gregorio qui interfuit scribere nescientis

6

7

Theopisto M

Putii M